DE GANGRAENA PULMONUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANCISCUS CAROLUS NEBE
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

A. LEGRAND, MED. ET CHIR. DR.
JOS. PELTZER, MED. ET CHIR. DR.
ED. FIRSBACH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE

NEC NON

AVUNCULO DILECTISSIMO

THEODORO WORMSTALL,

VIARUM PUBL. STERNENDARUM INSPECTORI SUPERIORI, EQUITI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam initio demum hujus saeculi morbum illum, qui gangraena pulmonum nominatur, Laennec accuratius descripsit et peculiarem quendam esse nobis demonstravit, attamen in Hippocratis aliorumque antiquissimorum medicorum scriptis morbum gangraenae pulmonum simillimum erysipelatis pulmonum nomine descriptum invenimus [1].

Tum permulta et maxime quidem diversa hujus morbi nomina in medicorum scriptis conspicimus; in quo quisque enim veram ejus naturam contineri putavit, ex eo nomen quoddam illi imposuit: ita Autenrieth typhum pleuriticum, Bayle phthisin ulcerosam, Steinheim putrescentiam pulmonum, aliique pneumoniam typhoden, sphacelum, deliquium putridum, mortificationem pulmonum morbum illum nominarunt, et Schoenlein inter neurophlogoses eum tractavit.

---

[1]) Conf. Burserius, Institut. Vol. IV. §. 105.

Sed omittamus plura scribere de nominibus variisque de gangraena scriptoribus, quia litteratura hujus morbi est ingratissima, ut ita dicam; quum omnes, qui de hoc morbo egerunt, nonnullis tantum verbis eum tractarint, plerique exempla morbi et suas de natura ejus sententias in ephemeridibus, rarissime in singulis scriptis nobis tradiderint, nec nisi Laennec [1]), cujus optimus etiamnunc tractatus de gangraena pulmonum, et, quod attinet ad anatomiam pathologicam, Rokitansky [2]) accuratiorem et uberiorem morbi nostri descriptionem in lucem protulerint.

AETIOLOGIA.

Omnes ante Laennec medici, qui de gangraena pulmonum egerunt, causam morbi posuere in inflammatione pulmonum, atque illum pneumoniae ad summum gradum provectae stadium ultimum ideoque morbum semper *secundarium* esse statuerunt.

---

[1]) Laennec, de l'auscultation médiate, ou traité du diagnostic des maladies des poumons et du coeur. Paris 1826. Seconde édition.

[2]) Handbuch der pathologischen Anatomie. Wien 1842. Tom. III.

Sic Hippocratem ceterosque antiquiores medicos, quum gangraenam pulmonum erysipelas nominaverint, itaque descripserint, causam in inflammatione posuisse elucet.

Etiam Boerhave e phlogosi originem morbi nostri derivans ait [1]: „si bronchialis arteria vel et pulmonalis vehementissima inflammatione corripitur, brevi nascitur gangraena et inde cito sphacelus." Eidem sententiae de gangraenae pulmonum causa Vogel favet [2], ubi pneumoniae transitum in gangraenam multis describit verbis; omnia vero, quae exposuit symptomata, nullius sunt ad gangraenam momenti, si quidem exemplum narrat a Randolini observatum, quo aegrotus, omnibus illis signis terribilibus jamjam in lucem progressis, prorsus tamen periculum effugerit; ita ut satis pateat casus, quum ab eo ipso, tum a Randolini observatos gangraenam non fuisse pulmonum. Quae igitur observationes nil valent ad statuendam gangraenae pulmonum causam principem. P. Frank [3]) semel admodum gangraenam pulmonum ex pleuroperipneumonia ortum, et J. Frank [4]) eundem pneumoniae exitum se

---

[1]) Aphor. de cognoscendis et curandis morbis. Lugduni Batav. 1758. Ed. VI. Aph. 844.

[2]) Handbuch d. prakt. Arzn. T. IV. p. 209.

[3]) Epitom. T. II. p. 149.

[4]) Praxeos medicae. T. II. Vol. II. Sect. I. p. 375.

vidisse contendunt. Berends [1]) etiam hanc de origine gangraenae ex pneumonia opinionem secutus est.

Tandem Laennec in libro de auscultatione [2]) primus contra omnium quum antiquorum tum recentiorum medicorum sententiam de causis gangraenae pulmonum in arenam descendit, et accurata symptomatum atque decursus illius morbi observatione ac diligenti cadaverum sectione gangraenam ne unquam quidem pneumoniae vehementia effici, nec ullam vix pneumoniam tali modo, i. e. gangraena exituram esse probavit. „La gangrène, inquit, du poumon est un cas assez rare; on peut à peine la ranger au nombre des terminaisons de l'inflammation de cet organe, et encore moins la regarder comme un effet de son intensité; car le caractère inflammatoire est très-peu marqué dans cette affection, soit sous le rapport des symptômes, soit sous celui de l'engorgement du tissu pulmonaire. La gangrène du poumon semble même, le plus souvent, se rapprocher de la nature des affections essentiellement gangréneuses, telles que l'anthrax etc.;

---

[1]) C. A. W. Berends, Vorlesungen über prakt. Arzneiwissensch. Herausgegeb. v. K. Sundelin. Berlin 1828. T. III. pag. 168.

[2]) l. c. p. 443.

et, comme dans ces affections, l'inflammation dévelopée autour de la partie gangrénée paraît être l'effet plutôt que la cause de la mortification." Comparat ergo primus eum aliis affectionibus gangraenosis externis, ut cum anthrace, cum pustula maligna, cum carbunculo pestilentiali pulmonum gangraenam et similem illis affectionibus dicit; morbum ipsum semper fere *primarium* et inflammationem circa partes gangraenosas secundariam potius quam primariam putat. Rokitansky [1]) hanc sententiam confirmans dicit nequaquam gangraenam esse effectum vel vehementissimi pneumoniae gradus. Denique omnes fere nostri temporis scriptores medici sententiam, a Laennec de pulmonum gangraenae causa positam plus minusve sequuntur.

Quod spectat ad causas praedisponentes, gangraenae pulmonum ortum adjuvantes, omnes ferme consentiunt morbum illum plerumque nasci in hominibus miseris, cachecticis, exhaustis quasi, qui parca omnino et dura vivendi ratione, malis praesertim alimentis, tum spirituosorum abusu vel amissione succorum ad vitam necessariorum, tum dyscrasiis inveteratis, ut syphilitica, scrofulosa etc., denique animi affectibus affligentibus radicitus quasi

---

[1]) l. c. T. III. p. 112.

subruti sint. Huic vero sententiae Canstatt [1]) observationes objicit viginti duas, in quarum numero duodecim aegroti sana antea ac plerumque valida corporis conditione fructi, et quatuor tantum partim magna animi irritabilitate, partim debili gracilique corporis statura praediti fuerint. Animadversiones vero nonnullae nil valent contra plurimorum doctissimorum medicorum observationes plurimas. Medium vitae spatium et sexum virilem multo majore copia quam pueritiam, senectutem et sexum muliebrem morbo nostro affici idem ille Canstatt plurimis probavit exemplis.

Addenda mihi adhuc est observatio auctoris Schroeder van der Kolk, a Guislain [2]) inprimis pluries instituta atque probata, nempe gangraenae pulmonum frequentiam in insanientibus non admodum parcam esse, praecipue in melancholicis, omne nutrimentum pervicaciter detrectantibus. Quod quidem nullo dum modo satis explicari potuit. Ex omnibus, quae supra satis, puto, superque de causis gangraenae pulmonum propriis ex variis scriptoribus composui, perspicue elucet, de hujus morbi causis etiamnunc sub judice litem esse, atque medicos hodieque, num primarius sem-

---

[1]) Carl Canstatt, specielle Path. u. Ther. T. III. p. 870.

[2]) Guislain in Gaz. méd. 1838. Nro. 28.

per sit morbus, an aliquoties tantum, quibusque sub conditionibus praecipuis et quo primum modo gangraena exoriatur pulmonum, nescire et quidem eo magis, quum omnis omnino theoria de gangraena maximeque de ulceribus gangraenosis nullo modo sufficiat [1]).

Sed transeamus nunc ad symptomata et decursum morbi, quae Laennec primus in justum ordinem redegit, itaque gangraenam ab omnibus pulmonum morbis similibus optime distinxit, et diagnosin ejus ad tantam produxit evidentiam, ut nemo amplius jure de ejus existentia dubitare queat.

SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Laennec duas gangraenae species statuit, circumscriptam et non circumscriptam, quas quum effectibus, tum symptomatibus et indole anatomica maxime inter se differre, idem comprobavit. Schoenlein acutam distinxit et chronicam gangraenam pulmonum, speciem non circumscriptam

---

1) „Origines morborum et causae longe abstrusiores sunt, quam ut humanae mentis acies eo usque penetrare possit." Verba sunt Baglivi.

acutam, circumscriptam vero chronicam designans; quae divisio nonnisi nomine ab illa a Laennec posita discrepat; quo enim latior ampliorque gangraenae in pulmonibus sedes, eo acutior quoque et rapidior morbi decursus; sed quo magis uni tantum, vel nonnullis locis pulmonum circumscriptis inhaeret, eo tardior et magis chronice morbus procedat plerumque necesse est. Speciem nunc utramque aliquanto uberius exponemus, nomina a Laennec nobis tradita sequentes.

1. Gangraena pulmonum non circumscripta.

(Gangrène non circonscrite du poumon. Laennec).

Haec gangraenae species durante vita celerrimo potissimum decursu ab altera specie differt.

Pulmone enim magna ex parte gangraenoso facto, respiratione impedita vita celerrime finiatur necesse est. Statim virium subita atque universa confectio apparet, aegrotus maxima corripitur infirmitate, spiritum trahit magna cum difficultate et magna adest pectoris oppressio; tussis frequens quidem, sed non satis fortis, ideoque non facile exscreantur sputa diffluentia, insigni modo viridata et pessime olentia, sicuti membra sphacelo correpta. Pulsus arteriarum frequens, parvus, debilis. Sputis per aliquod tempus copiosius editis, subito eorum exscreatio virium defectu haeret quasi, et

aegrotus moritur spiritum trahens sonorum (röchelnd), spirandi difficultate strangulatus. Sputa et rhonchus crepitans signa sunt, secundum Laennec, pathognomonica. Gravioris autem momenti est anatomica hujusce speciei ab altera diversitas, de qua infra verba faciemus. — Quae gangraena non circumscripta rarissimis adscribere licet morbis organicis, quum Laennec ipse viginti quatuor annis bis tantum hanc speciem se vidisse, eandemque in eodem temporis spatio quinquies tantum vel sexies in Parisiorum nosocomiis obvenisse referat.

2. Gangraena pulmonum circumscripta.

(Gangrène circonscrite ou essentielle. Laennec.)

Saepenumero hujus pulmonum affectionis circumscripte gangraenosae decursus chronicus est, mortificatio gangraenosa tardius procedit et symptomata tanto plus variant, quo magis malum sese extendit et morbus ipse provehitur. Initium morbi indicatur plerumque signis pneumoniae levioris, quibuscum quidem magna virium prostratio et aegroti anxietas non cohaerent; interdum quoque morbus tam levis et insidiosus quasi exoritur, ut nil periculosam illam ac prope semper lethalem pulmonum affectionem medico indicet. Mox ad dolorem inflammatorium, qui in uno admodum pectoris loco plerumque sentitur, magisque in super-

ficie quam in profundis pulmonum partibus, tussis accedit aegrotum valde vexans, initio quidem rara et sicca, sed qua mox sputa ejiciuntur maxime pathognomonica, quae deficientibus aliis signis sola jam saepenumero diagnosin firmare valent. Sputa scilicet primum saporis insipidi simul ejusmodi odorem spargunt; mox vero odor ille et sputorum et ipsius halitus in foetorem mutatus gangraenosum, cadaverosum quasi, aegris non solum, sed et cominus accedentibus perquam injucundus est, ita ut nauseam interdum provocet. Coloris sunt sputa primum albidi et consistentiae mucosae, albuminosae; deinde colorem sensim modo viridiusculum, ex flavo viridem, modo flavum, subfuscum, cinereum adeo, semper autem magis minusve puri similem, et consistentiam purulentam vel saniosam prae se ferunt. Sputorum copia tum parva, tum permagna est, ita ut vomitu magis sputa ejiciantur quam exscreentur; quo quidem vomitu nonnunquam aegroti probe levatos sese sentiunt. Hanc propriam gangraenosam sputorum conditionem, et halitus foetorem ingratissimum maximi ad dignoscendam pulmonum gangraenam momenti et pathognomonica interdum esse illius morbi signa plurimi auctores statuerunt. **Stokes**[1]), au-

[1]) Die Brustkrankheiten von William Stokes. Dublin. Uebers. von Dr. Fr. J. Behrend. Leipzig 1844. p. 251. seq.

ctor certe fide dignissimus, illum sputorum atque halitus foetorem *unicum* adeo censet signum pathognomonicum, quum pectoris auscultatio et percussio omnino nil valerent ad diagnosin firmandam. Hoc autem signum nonnunquam quoque deesse idem ille Stokes ait, quum foetor ille nonnunquam evanescat, nonnunquam in sputis solum adsit, halitu omni omnino foetore carente, ita ut opus esse possit ad eliciendum illum foetorem aegrotum tussire.

In majore exemplorum copia morbus stadio haemoptoico incipere videtur. Sanguinis profluvium quum levissimum esse potest, ita ut nil nisi striae sanguineae animadvertantur in sputis, tum gravissimum et copiosum; plerumque talia sanguinis profluvia saepius redeuntia mox aegroti vitam finiunt. Sanguinem hoc modo editum, initio laete rubrum, sensim sensimque atro-fuscum invenimus.

Accedit ad haec totius organismi status tristissimus: insignia inprimis sunt faciei lineamenta deformia, collapsa, hippocratica, quae jure terribilia Schroeder van der Kolk nominat; faciei simul et totius cutis color pallidus, albidus, lividus interdum; oculi subsidentes, languidi turbidique; lingua albide primum seu flave obtecta permagna siti sicca fit et atra fere; vox valde impedita, respiratio rara, stertorosa, tussi vehementi intercepta; pulsus frequens, centum vel centum et viginti

ictus praebens in sexages. horae parte, parvus, debilis; membra plerumque frigida; debilitas et anxietas in dies crescens usque ad ultimum; cutis tota frigido viscidoque sudore obtecta, nec raro calor in ea adest mordax; extremis vitae diebus singultus, haud raro membrorum oedema, decubitus, adeo gangraena partium externarum apparet. Plerumque miserrimi illi aegroti usque ad ultimum vitae finem raro tantum deliriis vexantur, sed mentis plane compotes sunt.

Haec sunt symptomata gangraenae pulmonum circumscriptae tristissima, sub quibus aegroti nonnullis diebus vitam finire solent.

Morbus in statum chronicum transiens febrem semper fere secumducit hecticam. Cutis temperatura saepius adeo ad calorem mordacem adaucta est, et alvi profusiones non raro frequentes et sudores nocturni aegrum conterunt. Sputa spiritusque aegroti eundem late spargunt odorem pessimum, quem supra descripsimus, et sputa ipsa in ultimis morbi diebus tanta saepius utuntur acrimonia, ut in larynge et faucibus ardentem efficiant sensum. Aegroti magna nunc cum celeritate emacescunt, sed non ad tantum quantum in aliis morbis chronicis maciei gradum perveniunt, quum mors prius plerumque vitam praecidat.

De signis auscultatoriis gangraenae *non circum-*

scriptae, maxime de rhoncho crepitante, supra jam locuti sumus; restat ergo adhuc de gangraenae *circumscriptae* signis cylindro comparatis nonnulla addere verba. Symptomata auscultatione reddita magnam similitudinem cum abscessuum pulmonum signis praebere Laennec contendit[1]). Auditur enim, cylindro pectoris loco affecto apposito, rhonchus crepitans, rarius autem quam in pneumonia aut pulmonum abscessibus. Laennec auctore tum praesertim, quum eschara, de qua infra sermo erit, inflammatione quadam circulari soluta sit, strepitus iste oriri solet. Serioribus morbi stadiis rhonchus percipitur cavernosus; si excavatio gangraenosa evacuari incipit, pectoriloquium adest. Nonnunquam excavatione tali in pleuram aperta, pneumothoracis et fluidi in pleurae saccum effusi signa accedunt; quum excavatio simul in bronchia saniem effundit, tinnitum metallicum (le tintement métallique) et sonum amphoricum (la résonnance amphorique) audiisse se Laennec perhibet, qui et vocem aegri, cavernis illis redditam, clariorem atque fortiorem quam in pulmonum abscessibus, et sine illis signis, quae „flottement" et „souffle voilé" nominat, existere dicit. Quae signa auscultatione a Laennec in pulmonum gangraena cir-

---

[1]) l. c. T. l. p. 448. seq.

cumscripta percepta, Fournet [1]) in eodem illo morbo audiri negat, sed bronchophoniam, rhonchum sonorum, sibilantem et mucosum percepisse se contendit. Scoda [2]) auscultatione gangraenam pulmonum cognosci posse omnino negat, ut et Stokes [3]), qui nulla esse physica gangraenae signa pathognomonica plane affirmat.

In casibus, quos observavi, nec ego ulla huic morbo propria signa percepi, sed audivi quae et in multis aliis pulmonum morbis inveniuntur signa, ita ut persuasum mihi quidem sit sola auscultatione gangraenam pulmonum cognoscendam non esse.

Decursus primae morbi nostri speciei celerrimus est, ut supra jam dixi, et plurimi gangraenae circumscriptae casus in quatuor sexve septimanis, nonnulli adeo in primis diebus morte finiuntur.

Law morbum illum unum usque ad unum et dimidium annum interdum durare probat.

Varietates morbi ejusque complicationes silentio praetereamus, quum non solum organorum respirationi inservientium inflammationes, ut bronchitis, pleuritis, praecipue pneumonia ejusque exitus varii

---

[1]) Fournet, recherches cliniques sur l'auscultation des organes respiratoires p. 312.

[2]) Scoda, Abhandlung über Perkussion und Auskultation. Wien 1842. p. 111. seq.

[3]) l. c. p. 255.

et aliae permultae pulmonum degenerationes, sed etiam cerebri affectiones uti lipothymiae, deliria aliaque, nec minus abdominis organorum, inprimis hepatis et intestinorum perturbationes morbosae cum pulmonum gangraena conjuncta inveniantur, et omnes hos morbos complicatos describere longum sit. Neque tamen hic omittenda videtur ea gangraenae circumscriptae species, quae secundum Laennec cavernae tuberculosae parietes, quamvis rarissime quidem, corripit. Multam Laennec huic gangraenae cum ea, quae saepius in superficie carcinomatis uteri, ventriculi et mammae ipsius oritur crusta gangraenosa, similitudinem attribuit.

DIAGNOSIS.

Gangraena pulmonum non circumscripta decursu suo rapidiori et virium confectione subita et sputorum natura a phthisi pulmonum certissime discernitur. Difficilior paullulo distinctio est ineuntis hujusce speciei a pneumonia; ducimur vero in dignoscenda gangraena doloris minore vehementia, sputorum natura peculiari et foetore illorum aërisque exspirati singulari.

Gangraena pulmonum circumscripta primum similitudinem quandam habet cum bronchitide chro-

nica et dilatatione bronchiorum. In illis vero bronchiorum morbis affectio semper est magis chronica, quam gangraena esse solet; deinde sanguinis exscreatio rarius apparet in illis, nec sputa colorem habent talem nec foetorem, ut in gangraena.

Maxime denique differt gangraena a morbis supra dictis febris vehementia, celeri virium prostratione, macie magis magisque in dies aucta, facie hippocratica aliisque.

Secunda gangraenae pulmonum species signa saepius phthiseos pulmonum ita simulat, ut vix, aegris adhuc viventibus, ab illa dignosci possit. Ceterum febris hectica, gangraenam comitans, non tam vehemens quam in phthisi pulmonum esse dicitur, in qua etiam sputa ejecta raro eodem modo, ut in gangraena, saniosa et foetida inveniantur, nec halitus vix unquam membri sphacelo correpti odorem accipiat. Denique saepius, puto, gangraena conjuncta cum phthisi tuberculosa, quum et Bayle[1]) tres observaverit casus, in quibus simul cum cavernis gangraenosis tubercula pulmonum aderant. Ab aliis pulmonum morbis gangraenam distinguere res est non ita ardua, si quidem sputum pathognomonicum, halitum foetidum, febrem gangraenosam aliaque desideramus.

---

[1]) Bayle, recherches sur la phthisie pulmonaire. Observ. 28, 29, 30.

PROGNOSIS.

De prognosi verba non amplius faciamus, nam gangraena diffusa brevi semper tempore morte finiatur necesse est, ut supra jam probavi, et gangraena circumscripta, quamquam aliquanto meliorem prognosin praebet, eodem tamen modo prope semper lethalis decurrit, ita ut non multi nobis descripta sint exempla gangraenae pulmonum aut natura ipsa, aut medico aptis naturam adjuvantibus remediis sanata. Nihilominus tamen plura, quae ad prognosin recte statuendam in auxilium vocari debent, brevi exponamus.

Primum aegroti corporis constitutio magni est momenti; quo magis enim illa accedit ad statum morbosum, cachecticum, vel adeo phthisicum, et quo major virium prostratio, eo pejor prognosis.

Deinde aetatis ratio habenda est videndumque, utrum versetur quis in medio illo vitae spatio, cui maxime ut supra diximus, gangraena pulmonum minatur, necne. Tum gravissimum est ad prognosin morbi stadium; quo prius quidem in auxilium vocatur medicus, isque apta adhibet remedia, et quo minus progressa est exulceratio gangraenosa, eo major medici spes est.

Denique malam, imo pessimam statuere licet prognosin, si sputa copiosissima, respiratio valde difficilis et stertorosa, febris vehementia magna, cutis calor mordax, pulsus frequentissimus vel irregularis, magnum semper fere membrorum frigus adest, et quando malae istae complicationes cum cerebri affectionibus, cum largis et frequentibus alvi profusionibus, cum pneumorrhagiis aliisque accedunt.

SECTIO CADAVERUM.

Utraque gangraenae pulmonum species singularia in secandis mortuorum cadaveribus signa praebet, quae tam Laennec [1]), quam Schroeder van der Kolk, qui optimas gangraenae diffusae observationes et descriptiones nobis tradidit [2]), et recentissimis temporibus Rokitansky [3]) aliique diligentissime observarunt et accuratissime consignarunt. Haec igitur utriusque gangraenae speciei signa, quomodo plerumque in sectionibus obvia veniunt,

[1]) l. c. p. 443 seq.

[2]) Observationes anatomico-pathologici et practici argumenti. T. I. p. 202. seq.

[3]) l. c. p. 112. seq.

ex optimis de anatomia pathologica scriptis propriisque observationibus componamus.

1. In gangraena non circumscripta unam pulmonis partem viridiusculam, subfuscam, saepe multicolorem, sero similiter colorato, spumoso, turbido floccoso impletam, emollitam, laceratu faciliorem sed eodem consistentiae gradu, quo in primo pneumoniae stadio et in pulmonum oedemate, instructam invenimus. Omnis haec pars affecta foetorem spargit sphacelo peculiarem et ex ea insecta effluit liquor saniosus, turbidus, ex cinereo viridis, foetore eodem praeditus. In circuitu partis affectae color ille et infiltratio sensim diminuuntur, ceterumque parenchyma oedematosum interdum et sanguinis expers apparet. Secundum Rokitansky gangraena pulmonum non circumscripta conjuncta semper est cum gangraena diffusa membranae mucosae bronchiorum et totum plerumque pulmonis lobum, inprimis superiorem corripit. Cruveilhier liquorem puriformem, male coloratum in pleurae sacco semper invenisse se refert. Schroeder van der Kolk l. c. dicit arterias sese et venas plurimas pulmonales, caute massa quadam cerea repletas, in ultimis parenchymatis flocculis, saniei gangraenosae immersis, obstructas, vasa vero lymphatica aperta reperisse, ita ut liquorem gangraenosum excipere omnino potuissent.

2. Gangraena pulmonum circumscripta in omnibus pulmonum partibus oriri potest, sed parvam fere semper partem occupat. Laennec, Andral, Cruveilhier et Rokitansky optimam nobis hujus formae descriptionem anatomicam tradiderunt. Anatomia hujus formae pathologica tria distinguere licet stadia: primum est escharae circumscriptae formatio, secundum emollitio ejus et solutio, indeque tertium excavationum formatio.

Loco quodam varii circuitus pulmonum mutatur textura in escharam formae et magnitudinis valde variae, subnigram, ex fusco viridem, duriusculam, humidam, densiorem paulo parenchymate pulmonum, escharae simillimam lapidis caustici ope in cute provocatae, foetorem sphacelosum perquam exhalantem. Quod proximum est escharae pulmonum parenchyma in statu vario, praesertim magis minusve inflammatum reperitur. — Eschara illa, sensim nunc a partibus adjacentibus, sicuti crusta igni seu lapide caustico in cute formata, soluta obturamentum format externe molle, floccosum, humidum et humore quodam sanioso circumdatum, interne duriusculum, atro-viridiusculum, in excavatione magnitudini et formae suae congrua depositum. Saepius autem tota illa eschara emollitur in massam pultaceam, ex fusco viridem, sanguinolentam interdum, parenchymatis residuis putridis

et villosis mixtam, summopere foetentem et in excavatione ulcerosa contentam. Potest, quod dicere neglexi, vel una tantum crusta gangraenosa adesse, vel plures. Tales excavationes a magnitudine variant fabae usque ad illam ovi gallinacei, forma irregularis, nonnunquam ferme rotunda, sedes illarum in externis saepius quam internis pulmonum partibus et multo frequentius in inferioribus quam superioribus pulmonum lobulis. Mox caverna illa magis magisque amplificata in bronchum prope adjacentem aperitur, atque per eum aër in caverna gangraenosa exhalatus et eschara ipsa vel materies illa gangraenosa dimittuntur. Quo magis gangraena in circuitu pulmonum sita est, eo prius pleuram quoque pulmonalem afficit perforatque. Eschara nunc soluta in thoracis cavitatem pervenit, nisi pulmo loco affecto intime pleurae costali adhaeret, seu liquefacta saniem supra descriptam in pleurae saccum effundit, itaque pleuritidem, empyema vel pneumothoracem producit. Pulmonum parenchyma excavationi adjacens nil interdum, nisi infiltrationem serosam aut sanguineo-serosam, abnorme praebet, multo vero saepius statu inflammationis et deinde hepatisationis utitur. Excavationis parietes, eschara omnino tandem a partibus adhaesivis soluta, pseudomembrana obteguntur grisea, subflava, opaca, molli, saniem ejusmodi colo-

ris turbidam seu nigram, sphaceloso foetore praeditam secernente. Quae membrana spuria spatium, eschara non nimis crassa relictum, implere atque sic veram cicatricem proferre potest; nonnunquam quoque, eschara nondum soluta, exoritur membrana ista, quae sanum nunc a gangraenoso separat. Interdum, pseudomembrana illa prorsus deficiente, sanies gangraenosa ab ipsis cavitatis parietibus secernitur, qui tum densioris atque firmioris structurae, quam pulmonum parenchyma in pneumonia, tum sub cultro fere stridentes et incisi superficie granulata praediti, aut alias denique molles, fungosi quasi et putridi esse solent.

Vasa nonnunquam sanguifera, omnino denudata excavationes percurrunt, quae aut integra remanent, aut gangraenosa ista sanie erosa, haemorrhagias plus minusve fortes in excavationem ipsam, in bronchia, aut, caverna in pleurae saccum aperta, in ipsam pectoris cavitatem proferunt.

THERAPIA.

Non multum dicendum nobis est de morbi nostri therapia, quum quod illa terra adhuc est maxime inculta, tum quia maxima observatorum exemplorum pars letho finita, ideoque nulli remediorum, a magna medicorum multitudine omnibus temporibus adhibi-

torum, vis aliqua ad destructionem pulmonum gangraenosam resecandam et morbum profligandum adtribuenda est. Remedia, usque ad hoc tempus ab optimis medicis advocata, haec fere sunt: primis morbi temporibus in stadio inflammatorio seu haemoptoico parcae cautaeque sanguinis detractiones, tam locales, quam universales; in stadio adynamico, in celeri illa virium prostratione methodus antiseptica et roborans, acida ergo mineralia, chlorum et aqua inprimis oxymuriatica, china, camphora aliaque horum ordinum. Praeterea in tribus casibus plumbum aceticum sanationem procreasse dicunt Malin et Fraenkel. Alii chlori praeparata ut calcariam et natrum oxymuriaticum valde efficacia laudant; alii creosotum, alii alia adhuc remedia innumerabilia praedicant. Sed jam satis de hac cura incertissima; plura non solum, sed etiam meliora certioraque de therapia hujus morbi, nobis semper propemodum insanabilis, tempus posterum, in curando hoc morbo felicius forsan, doceat.

VITA.

Franciscus Carolus Nebe natus sum Dusseldorpii die III. mensis Octobris a. MDCCCXXIII patre Conrado, quem multos ante annos morte mihi ereptum lugeo, matre Guilelma e gente Wormstall, quam hucusque vivam Deus benignus mihi servavit et perdiu incolumem servet. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Dusseldorpiense, quod directore jam beato Dr. Wuellner tum prae ceteris vigebat, adii et per annos octo frequentavi. Tempore autumnali anni hujus saeculi XLII maturitatis testimonium adeptus almam litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii, ibique a Rectore magnifico Ill. Naumann receptus et apud Ill. Mayer, gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Bonnae per septem semestria hasce audivi scholas:

Ill. van Calker de logice et psychologia;

Ill. Plücker de physice experimentali;

Ill. Goldfuss de zoologia;

Ill. Noeggerath de mineralogia;

Ill. Treviranus de botanice;

Ill. G. Bischof de chemia experimentali et phytochemia;

Ill. Harless de medicinae encyclopaedia et methodologia;

Ill. Mayer et Weber de anatomia tam generali quam speciali;

Cel. Budge de physiologia generali et speciali, de cranioscopia sec. Gall et de pathologia generali;

Ill. Naumann de pathologia et therapia speciali;

Cel. Albers de materia medica et arte formulas rite conscribendi;

Cel. Heinrich de percussione et auscultatione una cum exercitationibus practicis et de medicinae historia;

Ill. Nasse de anthropologia, de therapia generali et de pathologia et therapia speciali;

Ill. Wutzer de chirurgia, de fasciis rite applicandis, de instrumentis chirurgicis;

Ill. Kilian de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de aciurgia, de infantum morbis.

In exercitationibus practicis duces mihi fuere: in observationibus microscopicis Cel. Budge; in arte cadavera rite secandi Ill. Mayer et Ill. Weber; in clinico et policlinico medico, tam propaedeutico quam therapeutico Ill. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer; in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Ill. Kilian.

Mense Aprili hujus anni almam uuiversitatem Berolinensem adii et a Rectore magnifico Ill. Trendelenburg receptus, a decano spectatissimo Ill. Hecker in medicorum album inscriptus sum.

Per semestre aestivum clinicum medicum Cel. Wolff et policlinicum medicum Ill. Romberg frequentavi.

Ex initio mensis Octobris h. a. chirurgi militaris munere voluntarius fungor duce Cel. Dr. Lauer.

Quibus viris, si non egregiis de me meritis respondentes, tamen quam possum maximas gratias ago, nec unquam non habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Evacuatio excavationum tuberculosarum paracentesi thoracis prorsus rejicienda.
2. Gangraena pulmonum sola auscultatione et percussione cognosci nequit.
3. Optima omnium fistulas vesico-vaginales sanandi methodus est sutura cruenta.
4. Invaginatorio Wutzeri herniae inguinales externae, adhuc liberae, radicitus sanari possunt.
5. Remediis abortivis uti medico nunquam licet.
6. Elytromochlion Kiliani ad uterum prolapsum retinendum optimum est instrumentum.